



Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvací, 1625

De morte Petronillæ matris eius. XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](#)

C A P V T . X I V .

i De obitu Ioannis Petri eius, & longa continentia eiusdem.

I. **N**on est silendum de probitate & continentia Ioannis Petri qui fuit avus huius virginis, & genitor patris eius, ad laudem Dei & dignitatem bonae propaginis exaltandā. Iste igitur Joannes Petri laudabilis famae & vitae, post obitum vxoris suæ, plusquam quinquaginta annis in viduitate permanxit, donec fere nonagenarius senesceret. Tantam autem continentiam & abstinentiam exercuit, ut coniuge defuncta, tanquam solitarius turrat & castitatis amator, mulierem nunquam cognosceret. Insuper pro conseruatione cælibis vitae, bis per hebdomadam in pane & aqua ieiunavit, & semel tantum in hebdomada, dominica scilicet die, in prædio carnibus vescebat.

2. In cuius morte cernens Satanás insidiator malignus, quod ei appropinquare non posset; tam magnum tumultum in alijs partibus domus suscitauit, vt vasa testea frangerentur, absque tamen detimento & effusione butyri, quod in uno vase testeo conservabatur. Nec mirum, si fidelissimo famulo Christi, diabolus insidiari ac nocere ausus sit; qui Christo ieiunanti molestias temptationum intulit, à quo tamen vietus & confusus abscessit, quia omnipotentem fraudulentus decipere non valuit. Et sicut Angeli sancti, post recessum temptationis à Christum accesserunt: ita piè credendū est, anima Ioannis Petri ab Angelis custoditam: & ad Christum, cui in vita seruivit, post mortē carnis feliciter esse perductam.

C A P V T . X V .

De morte Petronilla matris eius.

3. **G**ongrum etiam videtur inserere paginæ præsenti, obitum nobilis feminæ Petronillæ, matris huius virginis sanctæ; atque nobilibus viris, legitimo ordine virtutis, feminam associare. Transactis igitur octo annis, ab exordio ægritudinis Lideuvigis virginis, mater eius Petronilla, ægre filiæ in multis obsequiosa, etiam in ægritudinem corporis incidit: de qua, sicut una ex filiabus Euæ, mortua est. Cum igitur morti appropinquaret, & suam imperfectionem attendens, minus iuste se vixisse conquereretur, petijt à dilecta filia, (quam Deo placitâ & dilectam nouerat) ut suis meritis & intercessionibus sibi defuncta subueniret. Ipsa verò omnem cogitatum suum & spem in Domi-

no iactans dicebat; quod libenter vell et mori, in tantum suę optioni renuntians, quod nollet, quod minimus vermiculus pro ea mori deberet.

2. Quo audito, sancta & fidelis filia compuncta, & matri cordialiter compassa, hortabatur eam sacris verbis, de bonitate Dei confidere: quatenus flagellum Domini & mortem cunctis ineuitabilem, patienter ferret. Et ideo pro subuentione eius, libentissimè eidem obtulit & ex integro resignauit, quicquid huc usque boni meritorij in exercitijs virtutum, in laboribus ac patientia tolerantia, consecuta fuisset. Hæc cum matre eius audiuisset, & gratauerter accepisset, in Dei misericordia confisa, creatoris sui manibus se commendauit. Ipsa autem virgo per omnia matri sua fidelis usque ad mortem permanens, & quid iam egerit considerans, & quasi omnibus bonis operibus prioribus euacuatā se putans, iterum ad inchoandam nouam poenitentiam, duro & late se cingulo cilicino accinxit, nouum dolorem adjiciens veteri dolori: ut Deus propitius sibi fieret, & cuilibet animæ fideli. Sed post aliquot annos virgo accincta cilicio, propter corporis sui humores hydroponicos, primo cingulo ex vetustate satis corrupto, rursum alio nouo, & successivè alijs pluribus propter attritionem depositis, forti zelo accingitur, donec cum ultimo ex hac vita migraret.

C A P V T XVI.

De statu eius post mortem matris, & de misericordia in pauperes.

1. Post mortem matris, virgo memor maternæ pietatis, ad solvendum debitum filialis dilectionis, talentū sibi creditū non fudit in terram: sed pauca clenodia argentea, & alia quælibet domus utensilia, à matre sibi ad usum relicta, propter instantem necessitatib⁹ expositis, mittebat diuersis egenitibus panes, carnes, pisces assos, & caseos: atque potum cereuisias cum amphora, quam pia mater sibi reliquerat: & si quid amplius à Deo concessum fuerat, fideliter erogabat. Et cum hæc per familiares mitteret, ipsa interim deuotis orationibus vacabat, gratias agens bonorum omnium largitori, qui aliquid sibi in usus pauperum concesserat.

2. Illa etiam, quæ à fidelibus in eleemosynam recipiebat, tantra hilaritate pauperibus transmiscebatur, ac si de rebus temporalibus nihil curare videretur. Proinde ex pecunijs habitis & pro necessitatibus expositis, mittebat diuersis egenitibus panes, carnes, pisces assos, & caseos: atque potum cereuisias cum amphora, quam pia mater sibi reliquerat: & si quid amplius à Deo concessum fuerat, fideliter erogabat. Et cum hæc per familiares mitteret, ipsa interim deuotis orationibus vacabat, gratias agens bonorum omnium largitori, qui aliquid sibi in usus pauperum con-

C A P V T